

per aut senescens et modo curuata in cornua facie, modo aequa portione diuisa, modo sinuata in orbem, maculosa eademque subito praenitens, inmensa orbe pleno ac repente nulla, alias pernox, alias sera et parte diei solis lucem adiuuans, deficiens et in defectu tamen conspicua, quae mensis exitu latet cum laborare non creditur; iam uero humilis et excelsa, et ne id quidem uno modo, sed alias admota caelo, alias contigua montibus, nunc in aquilonem elata, nunc in austros deiecta. Quae singula in ea deprehendit hominum primus Endymion; ob id amor eius fama traditur. Non sumus profecto grati erga eos qui labore curaque lucem nobis aperuere in hac luce, miraque humani ingenii peste sanguinem et caedes condere annalibus iuuat, ut scelera hominum noscantur mundi ipsius ignaris. 43

Proxima ergo cardini, ideoque minimo ambitu, uicenis diebus septenisque et tertia diei parte peragit spatia eadem, quae Saturni sidus altissimum XXX, ut dictum est, annis. Dein morata in coitu solis biduo, cum tardissime, a tricesima luce rursus ad easdem uices exit, haud scio an omnium quae in caelo pernosci potuerunt magistra: in XII mensium spatia oportere diuidi annum, quando ipsa totiens solem redeuntem ad principia consequitur: — solis ful- 44 45